



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. IX. Vtrùm charitas quouis peccato mortali amittatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

mortaliter. & hac ratione non quidem per se immediatè, sed ratione peccati mortalis, quod dicta ratione sapientissimè causant, animam occidunt. Igitur frequentantes peccata venialia per ea paulatim decidunt à dicta caritatis perfectione, & ratione peccati mortalis, quod illa sapientissimè sequitur, etiam decidunt ab amicitia Dei.

113 Et quidem loca Scripturæ ibi citata, & quædam alia, quæ nobis possunt obijci, faciliè hunc sensum admittere, satis clarum est ea legenti. Loca verò Patrum apparent paulò difficiliora, & primo aspectu videntur plus velle dicere, præsertim quæ peccata venialia cõparant multis guttis aut arenis implentibus ac mergentibus nauim: sed modo iam dicto ea esse intelligenda, quòd scilicet nos mergant & occidant, non per se, sed ratione peccati mortalis quod ea ferè communiter sequitur, patet Primò, quia aliàs illi Patres docerent, nos ob sola peccata venialia posse excidere omni gratia Dei, & mereri æternam mortem & damnationem. quod, vt ostendi nu. 100. & 101. est absurdissimum, & non satis consonum fidei; & communiter ferè etiam negatur ab ijs qui contrariam sententiam tuerentur. Imò ipse etiam S. Augustinus serm. 41. de Sanctis id expresse negat. vbi enumeratis plurimis peccatis, quæ quotidie etiam iusti cõmittunt, subdit: Quibus peccatis licet occidi animam non credimus, ita tamen eam velut quibusdam pusillis & horrenda scabie repleta deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi celestis, aut vix aut cum grandi confusione venire permittant.

114 Secundò, quia ipsi Patres sic se explicant. nam D. Gregorius loco supra citato, cum dixisset animam multis leuibus peccatis sicut nauim multis guttis sensim obrui, explicans quomodo hoc fiat, paulò infra subdit: Vnde fit plerumq; vt mens affueta malis leuioribus nec grauiora perhorrescat, atque ad quandam auctoritatē nequitie per culpas nutrita perueniat. Et tanto in maioribus contēnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare. Item l. 10. Moral. c. 9. ait: Ex vanitate ergo, vt superius dictum est, ad iniquitatem ducimur, cum prius per leuia delicta diffusimus, vt usu cuncta leuigante nequaquam possit committere etiam grauiorati meamus. Simili modo Patres sæpè dicunt in via spirituali non progredi, esse regredi: non quòd hæc sint formaliter eadem, sed quia communiter coniuncta sunt. Nam qui non conatur proficere, in seruire caritatis deficit.

115 Ad primum argumentum ex ratione positum nu. 98. Respondeo solum probare per peccata venialia minui perfectionem extrinsecam habitus caritatis, iuxta iam dicta.

Ad secundum, nego maiorem vniuersaliter esse veram: nam habens intensam caritatem potest ea remissè vt, ob defectu voluntatis, aut ob impedimenta ex vitiosis habitibus aut aliunde orta.

Ad tertium, nego consequentiam: quia tam actus quàm habitus vitiosi aliquo modo repugnant feruori & facilitati in operando ipsius caritatis, & consequenter eam impediunt ne actus intensos eliciat: habitus autem vitiosi nulla ratione repugnant intensiōi habitus caritatis. sic etiam si diuersarum scientiarum actus se mutuò

Coninck de act. supernas.

impediant, ita vt nequeant tam perfectè elici simul, quàm separatim; habitus tamen nullo modo mutuam perfectionem impediunt.

Ad quartum, nego Primò, consequentiam; quia peccata venialia non minuunt feruorem caritatis, immediatè per se & aliquid ipsi caritati secundum se detrahendo; sed solum generando vitiosos habitus, quibus minuuntur habitus virtutum acquisiti, & impeditur naturalis inclinatio in bonum & frequentia gratiarum actualium. sicut tamen illa nunquam tollunt omnino naturam, ita nec naturalem nostram in bonum inclinationem, nec efficiunt ne Deus omnino desinat nos suis gratijs præuenire, & consequenter nec tollunt omnem feruorē caritatis. Respondeo Secundò, secundam consequentiam esse etiam nullam, quia caritas potest esse sine vilo feruore, vt patet in stultis & paruis pueris baptizatis.

Ad quintum, nego minorem absolutè generatim sumptam, quia inter habentes æqualem caritatem habitualē potest Deus habenti pauciora peccata venialia velle dare maiores gratias præuenientes, & hac ratione eum magis amare quàm alterum. quòd si tamen per amorem Dei intelligamus solam acceptationem ad gloriam, sic maior est falsa. Ad confirmationem, nego consequentiam, si loquamur de amicitia Dei secundum essentialia sua, quæ consistit in dignitate hominis, & acceptatione Dei quæ eū acceptat ad gloriam. Minuitur tamē secundum feruorē ex parte hominis qui post eiusmodi peccata, quamdiu non respicit, minus feruidè Deum amat: minuitur etiam ex parte Dei quantum ad voluntatem conferendi particularia aliqua beneficia in hac vita, quæ à Deo pauciora communiter recipiunt, qui plura peccata etiam venialia committunt. Ratio autem diuersitatis inter amicitiam humanam & diuinam est, quia cum homines mutabiles sint, eorum amicitia faciliè ob res paruas, imò ob solam amantiū à se mutuo absentiam irinuitur, nisi continuis officijs foueatur: secus est de amicitia Dei, quæ continuò eadem permanet, nisi per peccatum mortale rescindatur.

D V B I V M IX.

Vtrum caritas quouis peccato mortali amittatur?

Hanc difficultatem tractat D. Thom. 2. 2. q. 118. 2. a. 11. & 12. vbi duos errores confutat. D. Thom. Quidam enim aliquando existimarunt veram caritatem semel habitam nunquam posse amitti, atque ita quotquot sunt extra caritatem, eam nunquam habuisse, quantumuis eam hominibus visi sint habuisse.

Ita olim sensit Iouinianus teste D. Hieron. lib. 1. contra eum scripto cap. 2. & lib. 2. cap. 1. Eundem secutus est Caluin. lib. 3. Instit. cap. 2. §. 11. vbi docet, fidem & iustitiam propriam esse electorum, semelque habitam nunquam amitti. Ad hunc errorem accesserunt olim Beguardi, qui, vt patet ex Clement. Ad nostrum. de hæreticis, putabant aliquos ad tantam caritatis perfectionem posse peruenire, vt fierent im-

Q9

pec-

116

117

Qua ratione Deus amet aut non amet æqualiter habentes æqualem caritatem.

Diuerfitas inter amicitiam diuinā & humanā quoad diminutionem.

Error Iouiniani & Caluini. Hieron. Caluin.

Clem. Ad nostram.

peccabiles, atque ita caritatem amittere non possent.

119 Probat Caluin. & Iouinian. suum errorem ex quibusdam Scripturæ locis. Primò, quia Iohannis 10. Christus ait de suis ouibus, *Et non peribunt in aeternum, & nemo rapiet eas de manu mea.*

1. Iohann. 2. Secundò, quia 1. Iohannis 2. de deficientibus ad hæresim dicitur, *Si fuissent ex nobis, mansissent vique nobiscum.* Vbi ex eo, quòd illi non perseue-

rarint inter fideles & seruos Christi, Apostolus colligit eos non fuisse verè fideles. Tertiò, quia 1. Iohannis 3. dicitur: *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quar-

to, quia Cantic. 8. dicitur: *Aque multa non potuerunt extinguere caritatem, neque flumina obruent illam.* Quintò, quia Iohannis 4. dicitur: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eos aqua salientis in vitam æternam.* Sextò, quia ad Rom. 8. dicitur, *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à caritate Dei.* Septimò, quia 1. ad Corinth. 13. dicitur: *Caritas nunquam excidit.*

120 Secundus error est quorundam nostri temporis hæreticorum putantium caritatem solo peccato infidelitatis amitti, quos damnat Trident. sess. 6. c. 15. & can. 27. Ad quos satis accesserunt quidam alij, quos videtur D. Thom. supra a. 12. impugnare, qui putarunt caritatem solum amitti per plura peccata mortalia, aut quando aliquis effrenè se peccatis dat. de quibus Vega l. 14. in Trident. c. 1.

121 CONCLUSIO I. Fide certum est caritatem siue veram iustitiam semel habitam posse amitti. Ita sentiunt omnes Catholici cum Trident. sess. 6. can. 23.

122 Probat Primò, quia Ezechiel. 18. dicitur: *Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Vbi aperte supponitur, iustum posse se auertere à sua iustitia ad iniquitatem & in hac perire. Quibus verbis non solum Caluinus damnatur, sed etiam Petrus Martyr, qui docuit iustum posse quidem amittere suam iustitiam, non tamen ita, vt eam nunquam recuperet, siue ita vt in sua iniquitate pereat.

123 Secundò, Luca 8. de quibusdam in quos tanquam in petram semen verbi Dei cecidit dicitur: *Qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore temptationis recedunt.* Ecce ibi aperte dicitur, à talibus verbum Dei suscipi, & in ijs per fidem crescere, quod sine vita fieri nequit, & postea arefcere siue emori.

124 Tertiò, Iohannis 15. Christus hortatur suos discipulos vt in se maneant, pergendo eum diligere eiusque mandata seruare: eò quòd aliàs fructum ferre nequeant. & subdit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palme, (scilicet à vite præcisus) & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet.* Vbi aperte ostendit, eum qui prius in se sicut palme in vite natus fuit & vixit per fidem & caritatem, posse in eo non manere excidendo à caritate, & in æternum perire missus in ignem æternum. Quæ directè pugnant contra Caluinum & Martyrem. Ratio horum est, quia, etsi caritas ac Dei gratia nos excitent vt

peccatis abstinere maneamus in Christo; tamen non necessitant nos, sed liberum nobis relinquunt arbitrium, quòd à Deo ad peccatum possimus auerti. vt bene notat D. August. in lo. Aug. cum Iohannis iam citatum, tractat. 81. Possent hæc pluribus Scripturæ ac Patrum testimonijs probari; sed dicta sufficiunt, cum clarissima sint; præsertim cum aperte constet eum semper fuisse totius sensum Ecclesiæ, & eos qui contrarium senserunt, semper habitos fuisse hæreticos. qui plura vult legat Bellarm. lib. 3. de Iusti. Bellarm. ficat. c. 14.

Ad loca Scripturæ num. 119. contra nos citata, Respondeo Primò, generatim ea omnia solum probare caritatem Dei quæ gratiam, siue actualia auxilia ei coniuncta, quæ Deus suis fidelibus perpetuò suis temporibus sufficienter suppeditat, ex se esse talia, quæ hominem ad omnem virtutem excitent, & ab omni peccato præseruent; ita vt possit numquam peccare mortaliter, aut à Deo separari, si ei velit constanter adherere, eiusque gratiæ collaborare, prout potest. Atque adeò si peccet hoc non prouenit ex parte caritatis aut gratiæ, aut ex aliquo horum defectu, sed ex libera hominis voluntate se à Deo auertentis; ita vt homini prius semper deserat Deum, quam ab eo deseratur, vt docet Trident. sess. 6. c. 11. quod facile respondendo ad singula ostendam.

Respondeo igitur Secundò, in primo loco Iohannis 10. in 2. parte explicari priorem, scilicet Christum suas oues sua gratia ita fouere, & contra omnes lupos defendere, vt nemo eas inuitas possit ab eo abripere siue auertere; adeò vt quantum est ex parte Dei & ipsius gratiæ, sint in æternum, si velint, victuræ; hinc tamen nullo modo sequitur, eas non posse sponte à Christo discedere. Sicut ex eo, quòd aliquis sit in loco ita munito, vt hostis non possit eum inde vi abstrahere, non sequitur, eum non posse, si velit, se per muros præcipitem dare, atque in manus hostium ac mortem incurrere.

Idemque omnino est sensus illius ad Rom. 8. *Certus sum, &c.* Apostolus enim ibi nullo modo intendit docere, fideles aut omnes, aut etiam eos, quibus tunc scribebat, ita in gratiæ se confirmatos, vt nullus eorum possit sua culpa ab ea excidere: hoc enim nec contextui, nec ipsius proposito quadrat; & repugnat ijs quæ dicit 1. ad Corinth. c. 10. vers. 12. *Qui se existimat stare, vitæat ne cadat.* & ad Roman. c. 11. vers. 20. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Scilicet ne cadas.* Quorsum autem timeant calum si à Deo separari aut cadere nequeant? Solum igitur intendit docere, nullum aut hominem aut angelum aut tormentum malum, quòd hi nobis possent inferre, habere tantam vim, vt possit nos à caritate, qua Deus nos propter Christum completitur ac fouet, inuitos separare, siue de manu ac protectione eius abripere, quamdiu nos ab ea sponte non discedimus. Hortatur enim ibi fideles, vt fortiter pro Deo omnia aduersa sustineant, nec vllas calumnias, falsas accusationes, aut hominum vel angelorum vim aut tormenta pertimeant; eò quòd nihil horum protegente eos Deo, ipsos possit à caritate.

caritate Dei ac sperata ab eo felicitate separare. Cum potius contra hæc omnia fortiter ea pro Deo sustentibus sint profutura; quia diligentes Deum hæc omnia cooperantur in bonum, ut dixit supra ver. 28. quod etiam probat. Nam quos præsumit (id est præcipue dilectissime enim hic, ut in multis alijs Scripturæ locis, sumitur pro diligere). & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui. hic scilicet in passionibus sustinendis, ut postea sint ei similes in gratia. Vbi ostendit, quod hic multa patiamur, non esse signum nos derelictos esse a Deo, sed potius contra inde clare probari nos magis esse dilectos; utpote quos vult magis esse similes dilectissimo suo filio. Deinde probat suum intentum. Secundò, quia si Deus pro nobis, quis contra nos? & infra: Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est, qui iustificat (id est iustos nos ostendit contra calumniatores) quis est, qui eodem modo id est, quæ calumnia poterunt nobis nocere, ac nos reos facere? Ac si dicat: Nolite multum curare quod homines infideles vos iniuste accusent tamquam impios, gravissimæque calumnijs vos ubique infament, ac conentur opprimere; nihil enim horum apud Deum, cui vestra innocentia nota est, & qui in die iudicii vos coram omni mundo iustos ostendet, vobis nocere poterit, aut efficere ut minus vos amet aut beat: præsertim cum Christus, qui pro nobis mortuus est, & pro quo ista patimini, sedeat ad dexteram Dei pro nobis interpellans. Deinde subiungit: Quis ergo nos separabit, &c. Hæc in sensu iam explicato dicta poterant merito Romanos aliosque fideles ad toleranda omnia adversa (quod Apostolus ibi intendebat) excitare: cum contra si dixisset eos non posse gratiam Dei ullis peccatis amittere; hoc eos potius ad negligentiam, & ad querendam quacumque ratione persecutionis effugia, & consequenter ad negandam fidem excitasset; cum sibi persuadissent, quidquid agerent se à Deigratia non posse excidere. Alij aliter hunc locum explicat, sed hic sensus mihi cum P. Valquez 1.2. disp. 200. c. 10. visus est magis literalis & proposito Apostoli conformior.

Ad secundum locum ex 1. Iohannis 2. Respondent aliqui Apostolum ibi per illa verba, Non erant ex nobis, etsi fuissent ex nobis, &c. solum velle illos non fuisse ex numero prædestinatorum. Sed hæc responsio mihi videtur difficilis; quia supponit S. Iohannem scivisse, ac in sua epistola aperte docuisse, eos omnes fideles, ad quos eam scribebat, fuisse prædestinatos: quod parum habet probabilitatis. Cum enim ibi scribat ad omnes fideles illius Ecclesiæ, vel potius ad omnes fideles illarum Ecclesiarum, quarum facit mentionem tribus primis capitibus suæ Apocalypseos, qui maximo erant numero, omnino videtur incredibile eos omnes, qui tunc erant verè fideles, aut saltem eos omnes, qui non erant futuri hæretici, fuisse prædestinatos; cum tamen satis cõstet tã ex Apocalypsi, quàm ex hac ipsa epistola multos inter eos fuisse obnoxios gravibus peccatis, in quibus probabiliter erant perseveraturi. His adde, minus adhuc videri credibile, S. Iohanni fuisse reuelatum eos fuisse prædestinatos; eumque hoc nomine Dei fuisse testatum:

Coninck de act. supernat.

& consequenter illos fide divina hoc debuisse credere; atque adeo futuros fuisse hæreticos si de sua prædestinatione dubitassent.

Respondeo igitur S. Iohannem ex hæresi, ad quam illi defecerant, quæ negabat Christum esse verum Deum, & multa à doctrina Christi valde abhorrentia continebat; item ex modo & circumstantijs ipsius defectionis, tamquam valde & moraliter evidens inferre eos numquam verè & ex animo ipsi Christo ipsiusque doctrinæ perfectè adhasisse. Non quod generaliter certum sit, aut etiam probabile, eum qui ad hæresim defecit numquam habuisse veram fidem (hoc enim aperte falsum est, & alijs Scripturæ locis repugnat) sed quia in ijs circumstantijs ea consequentia erat moraliter evidens. Cum enim illi de doctrina Christi nihil potuerint cognoscere nisi per Apostolos, si vnumquod verè ex animo ob eorum prædicationem credidissent Christum esse verum Deum, eaque omnia quæ Apostoli de eo docebant, esse vera, & certissima fide credenda; omnino incredibile est eos tam citò sine vlla nova ratione, qua possent ad hoc moveri, omnino contraria doctrinam fuisse, arguendo hæreseos ipsos Apostolos magistros suos adhuc viuentes, eò quod hi in doctrina, quam ab initio ijs tradiderant, persistenter. Alia est ratio subsequenter hæreticorum, qui Apostolos non damnabant, sed eorum doctrinam malè interpretabantur, cuius sensum à defunctis iam petere non poterant.

Ad tertium, variè varij respondent, ut docet Bellarminus libr. 3. de iustific. cap. 15. sed ij probabilissimè, qui dicunt Apostolum loqui in sensu composito, scilicet habentem caritatem non peccare, quantum est ex parte caritatis, & manendo in caritate. Vult enim ibi ostendere, qua ratione possimus cognoscere qui sint in caritate, & qui non sint; & dat hæc signa, quod ij qui peccant non sint in caritate, quia per peccata eam perdunt, atque ita existentes in caritate, scilicet permanentes, siue manendo in ea, peccare non possint; quia peccando ab ea exciderent.

Ad quartum, Respondeo illo loco Cantico- rum solum dici caritatem iunctam alijs auxilijs divinis quæ eam comitari solent, esse sufficientem ut omnes tentationes superet, si eis velimus cooperari. ut dixi nu. 122. Idem dicendum de quinto loco. nam illo Iohannis 4. solum significatur gratiam Dei ex se hominem instigare, ut relictis omnibus rerum terrenarum cupiditatibus soli Deo inhareat, eoque satietur; illosque hoc consequi, qui toto affectu hanc gratiam hauriunt, eiusque instinctum sequuntur.

Ad sextum, respondi num. 123. Ad septimum, Respondeo Apostolum nullo modo ibi dicere, caritatem hic non posse perdi per peccatum mortale: sed solum eam non evacuari per visionem beatificam, sicut fides & spes evacuantur: aliàs ipse doceret, caritatem hic posse manere sine fide & spe, quod absurdissimum est.

CONCLUSIO II. Caritas expellitur per quodvis peccatum mortale. Est communis o-

Qq 2

minium

127

Aliquæ fieri hæreticum non est semper probabile signum eum numquam fuisse fidele.

128

Bellarmin.

129

130

scire super sumitur in Scriptura pro diligere.

Nos hic multa pati non est signum derelictionis, sed dilectionis Dei.

Valquez.

126

Trident.
1. Cor. 6.

mnium Catholicorum, & aperte definita à Tridentino sessione 6. cap. 15. & canone 27. vbi id bene probat ex 1. ad Corinth. 6. vers. 10. Vbi dicitur, nec fornicatores, nec molles, nec adulatores, nec fures, &c. regnum Dei possessuros: quod esset falsum, si illi per eiusmodi peccata non perderent caritatem. Omnis enim qui vel semel fornicatur, aut furatur, aut adulterium committit, est vel fornicator, vel fur, vel adulter, quantumvis retineat fidem, & consequenter, nisi poenitentiam egerit, non possidebit regnum Dei, quod, ut iam dixi, esset falsum si tales per illa peccata non perderent caritatem. Et ratio est, quia, sicut per quoduis vulnus lethale homo viuens occiditur corporaliter; ita per quoduis peccatum mortale occiditur spiritualiter (nam aliàs hoc peccatum non esset mortale) & consequenter amittit caritatem, quæ est vita animæ.

D V B I V M X.

Utrum peccatum mortale physicè & ex natura sua ita expellat caritatem, ut hæc nulla ratione possit cum eo consistere?

131

Quidam absolutè affirmant fieri nullo modo posse, ut Deus conferret gratiam siue caritatem in eo qui mortaliter peccat. Hanc tenent omnes, qui docent gratiam siue caritatem nullo modo posse consistere cum peccato mortali habituali, quos citauimus disput. 21. dubio 8. initio, præter Lorcam, qui etsi doceat implicare, ut gratia habitualis consistat cum peccato habituali; tamen putat eam nihilominus posse consistere cum peccato mortali actuali, si Deus eam in peccante vellet conservare: quo casu ait talem nullam peccati maculam contracturum, sed mansurum iustum.

Lorca.

Probant autem alij illi Auctores suam sententiam iisdem rationibus, quibus probant impossibile esse caritatem simul in eodem consistere cum peccato habituali; quia scilicet caritas est formaliter amicitia Dei, conuersio ad Deum, iustitia, &c. peccatum verò est inimicitia cum Deo, auersio à Deo, iniustitia, &c. quæ simul in eodem esse nequeunt. quæ dicto dubio 8. satis refutauimus. & positis quæ ibidem dixi, solutio huius difficultatis est facilis.

132

D. Thom.

CONCLUSIO I. Peccatum mortale expellit gratiam seu caritatem propriè demeritoriè. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 10. & 12. in corpore. & Auctores citandi conclusionè 2. Probatur, quia cum contineat grauissimam in Deum offensam, atque veram iniuriam, meretur absolutam rescissionem amicitia, ac odium ipsius Dei, & æternam damnationem, & consequenter ablationem ipsius caritatis, qua homo constituitur dignus amore ac amicitia Dei, atque adeo ipsius filius, & heres æternæ gloriæ. Etsi enim hæc dignitas ac filiatio sit annexa caritati ex solo Dei decreto; est tamen ei de facto inseparabiliter annexa, ut ostendi dicto dubio 8.

conclus. 1. Atque ita quicumque meretur amplius non esse filius Dei etiam meretur priuari caritate.

CONCLUSIO II. Peccatum mortale actuale non habet ex natura rei repugnantiam cum habitu caritatis, quæ eam necessariò expellat: quare si Deus vellet, posset in peccante mortaliter caritatem conservare. Ita Auctores citati disp. 21. dubio 8. conclus. 3. & præterea Bonaventura in 3. d. 31. art. 1. quæst. 1. Durandus in 1. d. 17. quæst. 10. Paludan. in 3. d. 31. quæst. 1. art. 3. Contrarius 1. 2. q. 21. a. 4. Henricus quodl. 5. quæst. 23. Almain. tract. 2. Moral. c. 5. Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 22. vbi docet eam esse ferè communem omnium antiquorum sententiam. Malderus 2. 2. quæst. 24. 2. 12. conclus. 5. & plurimi recentiores eamque aperte insinuat D. Thom. ibidem in corpore, ut in frâ ostendam.

Probatur Primò, ex dictis disp. 21. dub. 8. vbi refutauimus omnes rationes, quibus alij probant caritatem non posse vlla potentia in eodem cum peccato mortali consistere.

Probatur Secundò, quia ratio formalis peccati actualis (secundum quam solùm, ut omnes fatentur, potest aliquam habere repugnantiam cum caritate) consistit aut in aliqua formalitate merè morali, aut in priuatione actualis bonitatis siue rectitudinis debitæ inesse: atqui neutra ratione potest habere repugnantiam physicam cum caritate: ergo nullam eiusmodi repugnantiam cum ea habet. Minor probatur, quia formalitas moralis, cum non sit aliquid physicum, nequit cum ente physico habere physicam repugnantiam. Item dicta priuatio nec contrariè potest opponi caritati, ut per se patet; nec etiam priuatiue, quia hoc modo sola priuatio caritatis opponitur caritati, qualis secundum omnes non est formalis ratio peccati actualis.

Respondent aliqui Primò, peccatum actuale expellere caritatem, quatenus illud est quædam iniustitia & auersio à Deo; hæc verò quædam iniustitia & conuersio ad Deum, quæ simul in eodem esse nequeunt. Sed hoc satis refutauimus disput. 21. dubio 8. nu. 92. 93. & 113. Respondent Secundò, illud repugnare caritati mediare, quatenus necessariò in nobis causat priuationem gratiæ siue caritatis, in qua consistit peccatum habituale, atque ita necessariò illam expellit; sicut qui causat alicubi tenebras, necessariò expellit lumen.

Sed contrà, Hoc argumentum supponit Primò, peccatum habituale consistere in priuatione gratiæ habitualis, quod satis refutauimus disput. 21. num. 105. Secundò, me posse immediate causare priuationem alicuius rei, siue hanc destruere aut expellere ponendo immediate ipsius priuationem. quod aperte implicat; quia nulla potest dari actio immediate tendens ad priuationem alicuius rei; sed ut ponam alicuius formæ priuationem, debeo primò & immediate destruere vel expellere ipsam formam, vel producendo formam ei repugnantem, quæ formaliter expellatur, vel subtrahendo concursum ad eius conservationem necessarium, aut impediendo causam, à qua necessariò conservatur, ita ut eâ ulterius conservare nequeat.

v. c.